DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
OPHTHALMIA SYPHILITICA

QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM
FRANCOFURTANA

AUCTORITATE ET CONSENSU
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
GRADUM
LEGITIME ADSECUTURUS
A. D. I. IULII MDCCCVIII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS ALEXANDER SESSA
SILESIUS VRATISLAVIENSIS.

FRANCOFURTI AD VIADRUM
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO,

IOSEPHO KAUSCH

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI REI MEDICAE A CONSILIIS, CIRCULI MILITSCENSIS ET TRACHENBERGENSIS PHYSICO, SOCIETATUM LITERATARUM COMPLURIUM MEMBRO,

AVUNCULO AC PATRONO
OMNI PIETATE COLENDO,

HUNCCE

LIBELLUM ACADEMICUM

TANQUAM

VENERATIONIS PERPETUAE

TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

§. I.

De ophthalmiae syphiliticae notione atque genesi.

In diverſis, quæ viri diligentes hucusque recenſuerunt, ophthalmiæ generibus, nullum eſt, de quo non jam centies disputatum ſit. Nihilo vero minus eam, quæ oculorum adfectus reſpicit, diſciplinam et ceteris difficiliorem, et hodienum adhuc rudem multisque erroribus adeo implicitam judico, ut in aliam qualemcunque, quam in hanc medicinæ partem ſubtilius excolendam, non ſatius utique conferri posſint debeantque recentiorum cogitata et pericula. Eapropter et ego, dum ex inſtituto majorum ſpecimen inaugurale exhi-

hibere jusſus, disſerendi materiam de rariore quodam oculorum adfectu depromerem, nec inutilem, nec arbitris injucundum laborem ſuſcepisſe mihi videor.

Continetur autem, quam mihi pertractanda ſumſi, ophthalmia ſyphilitica, inflammatione ſui generis, quae contagii ſyphilitici corpus univerſum affligentis huicque ſupervenientis noxae oculum forinſecus infeſtantis prodire ſolet ex connubio. Nimirum utriusque momenti cauſſa morbum continente prioris haec eſt ratio, quod ubi per ſyphiliden mirum in modum aucta incitabilitatis copia in concipiendos hoſtiles rerum externarum influxus procliviorem fecit oculum, quaelibet huic illata injuria, etiamſi perexigua eaque ſanis ceteroquin hominibus neutiquam infeſta, et partis prae aliis delicatae inflammationem, et quandoque morboſa in eadem profluvia concitare valet. Hac itaque ratione morbus noſter haudquaquam ſemper originitus talis apparet, qualem is paulo poſt ſeſe praeſtat; ſed primum hujus ſtadium ſeu hyperſthenicum, ſaltim in iritide ſyphilitica, non aliam, quam ophthal-

thalmiæ ſimplicis faciem habet. At enimvero, ſimulatque in debilitatem indirectam ſeu ſtadium ſecundum adfectus tranſire cœperit, ſenſim quoque inflammationi proſtanti distincta ſeſe adjungunt propriaque diatheſis venereæ ſymptomata.

§. II.

De diversis ophthalmiæ ſyphiliticae generibus

Quodſi tum causſæ formalis, tum ſymptomatum localium diverſitatem reſpicio, bina habentur morbi pertractandi genera, quorum alterum idque altero longe rarius et magis ominoſum, *blepharophthalmiæ glandulosæ* seu *blepharoblennorrhϾ* ſerius ocyus in *ophthalmoblennorrhœam* transeuntis facie indutum, alterum *ophthalmiæ internæ* (ut hanc Schmidt, Beer et Himly nuncupare ſolent), seu *iritidis* inſtar medentibus occurrit. Hoc quidem, præterquam, quod frequentiſſime cum ophthalmia catarrhali nuptum reperitur, ſemper etiam nonniſi ob fortuitas demum noxas ſyphiliticorum oculis admotas naſci-

ſcitur, nunquam vero e ſyphilide ſola prodit. Illud contra, licet in omnibus e ſola diatheſi venerea emergi ſolitum, in aliis tamen ad aliam cauſſam formalem redit, utpote cum vel gonnorrhœam ſuppresſam, vel in iis, qui nimias una humorum laudabilium evacuationes pasſi fuerant, diatheſin ſcorbuticam cum ſyphilitica nuptam excipere ſolet. Bina exinde iterum evadunt blepharophthalmiæ ſyphiliticæ ſubordinata genera, quorum alterum *ophthalmiæ gonorrhoicæ veræ*, alterum *ſpuriæ* nomine denotare placet.

Iam utrumque ex memoratis ophthalmiæ ſyphiliticæ generibus, quorum quidem obſervandorum Vindobonæ, duce celebri Beer, largam habui copiam, ſeorſim perluſtrem necesſe est.

§. III.

De construenda ophthalmiae gonorrhoicae verae causſa.

At ob suppresſam gonorrhœam blepharophthalmiae natae causſa, si analogam partium afflictarum fabricam functionemque respicimus, ap-

apprime ab eximio, qui tunicae adnatae inter urethraeque glandulas mucosas et sebaceas intercedit, nexu sympathico repetenda ideoque oculi adfectus hoc modo natus secretionis vicariae seu gonorrhoeae ad oculum translocatae instar aestumandus est. Neutiquam tamen omnem ophthalmiam, qua gonorrhoea laborantes affliguntur, ilico huic tanquam causfae adfcribi oportet. Namque ophthalmia gonorrhoica vera, praeterquam, quod nunquam citra praegresfam gonorrhoeae suppresfionem oritur, peculiarem utique cutis totius conditionem, quae quidem, auctore inclyto Schmidt, insolita ejusdem incitabilitate cum praevalente rubore ac teneritate conjuncta continetur, diathesin supponit. Idcirco hoc opthalmiae genus in validis rigidisque corporibus, qualemcunque ceteroquin ob causfam gonorrhoea his impertita sisti coeperit, nunquam cernitur, sed plerumque bubones testiumve tumores morbi prioris partes occupant. Supprimi autem gonorrhoea solet et subsecuto liquorum exsiccantium in urethram immisforum abusu, et omni partium genitalium refrigerio hisve illata presfione.

§. IV.

Quid ophthalmiae gonorrhoicae genuinae circa faciem et decursum notandum sit?

Prima quidem ophthalmiae e gonorrhoea suppressa evasurae initia lucis impatientia, aucta lacrymarum secretione atque pruriginis molestiae in palpebris perceptione sese manifestat. Brevi post palpebra superior in tumorem erysipelatosum attollitur, qui ab extremo illius margine exortus, paullatim pugni infantilis ambitum acquirit. Iam vero quoque conjunctiva tunica simili tumore eoque totam corneae peripheriam aggeris rubicundi instar ita contegente, ut nonnisi media membranae hujus particula conspiciatur, deturpari incipit. Ad angulos oculi demum propagata intumescentia efficit, ut vesicae sanguinolentae formam nacta tunica adnata inter palpebras promineat. Sensim quoque palpebra inferior intumescit et extrorsum vertitur. At jam ilico post confirmatam palpebrae superioris intumescentiam fluor mucosus ingruit, qui laticem

gon-

gonnorrhoico perfecte ſimilem refert. Idem de die in diem factus copioſior non e Meibomianis tantum glanduis, sed ex interna quoque palpebrarum superficie ipsaque bulbi conjunctiva tam largiter provenit, ut inde genae perpetim madeant. Memoratus rerum ſtatus biduum, aut ad summum ubi venit, quatriduum ubi occupaverit, cornea obnubilatur atque citisſime per totum ejus ambitum tumescit. Viſus aboletur corneaque veſicae latice purulento repletae inſtar apparet. Quae corneae inter lamellas acciderat suppuratio, per ipsam elatam atque cribrosam, viam ſibi pandit, ita ut iris ex foraminulis ortis prolapſa annulum uvularem ſeu ſtaphyloma repraeſentet, cujus in centro plerumque apertura quaedam relinquitur, quae lentem cryſtallinam nondum deſtructam conſpici ſinit. Mox ſubſecuta, quae jam inſtat, capſulae deſtructione, lens ultro ex oculo prodit. Quo facto, ſtaphyloma ſine artis miniſterio evanescit, foramen, quod corneae in centro reſidebat, ſenſim conſolidatum, cicatricem planam, candidam eamque fusce ſtriatam relinquit.

Ce-

Ceterum morbus eundem, qui gonorrhoeae solennis est, decursum habet. Quo si juvenes robusti et ceteroquin bene valentes invaduntur, utique non semper deficiet, quin inflammatio recens orta eaque nondum ad asthe-niam perducta dissipari et amplioribus ejus progressibus anteverti possit. Contra in debilioribus, teneris et exhaustis plerumque citius, quam arte quidquam profeceris, morbus e stadio primo seu hypersthenico ad secundum ferri solet. Orta vero semel asthenia indirecta, tam parum utique opis superest, ut potius oculus inflammatus rapidissimo cursu in sui destructionem vergat. Ut igitur ophthalmia gonorrhoica vera talem, qualis urgere coeperat, non diu sese praestat: ita quoque curationi adhibitae raro locum facit.

§. V.

Qui ophthalmiae gonorrhoicae verae mederi conveniat?

Simulatque, cum ophthalmia gonorrhoica rem tibi esse, tum ex aegrotantis habitu, de quo supra dictum est, hunc in morbum procli-

clivi, tum ex praegresſa gonorrhoeae ſuppresſione, dolorifico palpebrarum tumore materiaeque ex oculis deſtillantis indole cognoveris, de inhibendis arcendisque morbi tam atrocis ſequelis et effectibus ilico cogitandum est. Simplicisſima omniumque maxime secura huic medendi ratio dubio procul in gonorrhœa quam primum revocanda derivandaque, quam oculi nexu ſympathico incitati ſubierant, ſecretione vicaria conſiſtit. Quo quidem ſine trifariam potiri licet. Primum huc referri debet gonorrhœæ inoculatio, quam vel recta vel cereolis materia gonorrhoica inunctis iisque in urethram immisſis efficere convenit. Quo tamen ab auxilio, licet præſtantisſimo, aegri plerique abhorrent. Altera morbi prioris reſtituendi methodus in eo vertitur, ut cereoli in urethram immittendi liquore quodam acri, verbi causſa hydrargyri muriatici corroſivi aut lapidis divini ſolutione illiniantur eoque modo validam irritationem cum profluvio ſubſequo efficiant. At enimvero propter ſatis acerbos, quos haec medela infert, nervorum cruciatus aegrorum plerique eam non diu ſuſtinent, ſed ce-

cereolos adhibitos, antequam hi optatam ſecretionem morboſam elicere potuerint, impatienter ſeponunt. Postrema denique gonorrhœae revocandae methodus herbarum emollientium decoctionibus in urethram tepide immittendis, calida penis lotione, cataplasmatibus ex cicuta et hyoscyamo aut cucurbitulis ſiccis ad perinae[illegible] applicandis atque frequente clysmatum [illegible]a continetur. Quam vero medendi rationem, ob eff[illegible] quidem tarditatem et incertitudinem, ceteris utique poſthabendam esſe, nemo eſt, qui non videat.

Hac autem, incasſam ſuſcepta esſe, quae modo retuli, ſanationis radicalis efficiendæ pericula; de levando ſaltim, qui citra profluvii prioris reſtitutionem nulli medicinae cedit, morbo atrocisſimo cogitandum est. Itaque, is ubi recens adhuc natus neque ad debilitatem indirectam jam perductus est, aegrotante inprimis una juvene et robusto arteriarumque ictibus plenis durisque, ſanguinem liberaliter mitti ſpoſteaque hirudines ad regionem ſupraorbitalem adplicari oportet.

Si-

Simul ufui interno kali nitrici grana quindecim ter de die utiliter dari poterunt. Verum enimvero, fimulatque mollior exiliorque pulfus inde factus est oculorumque dolores remiferunt, a tota curatione antiphlogiftica ilico abftineri debet. Ad oculum ipfum ingruente astheniæ indirectæ fpatio collyria mucilaginofa, quibus tincturæ opii crocatæ tantillum addideris, haud inaufpicato prorfus adplicantur. Quibus enim fæpius de die oculo inftillatis interdum efficitur, ut hunc inter palpebrasque collectus iisque tenaciter inhærens mucus gonorrhoicus expedite folvatur folutusque effluat.

§. IV.

De cognoscenda curandaque ophthalmia gonorrhoica spuria.

Sumto quidem nomine eam ophthalmiam fignificarem, quæ licet gonorrhoicæ quoad formam et adfpectum haud abfimilis, ab ea tamen peculiarem quoad causfam haud parum utique recedit. Nafcitur enim hic fui generis ad-

adfectus non ob gonorrhœam fuppresfam, fed ob nimios in venere excesfus, qui fractis viribus cum lue confirmata fcorbuticam fere diathefin adduxere. At vel præterea is ab ophthalmia gonorrhoica vera hisce differt notis: primum nempe conjunctivæ tumore ex rubro pallido, fæpius flavo eoque ad rudem etiam attactum vix et ne vix quidem dolorifico: deinde abfente omni lucis impatientia; tertio demum notabili gingivæ labiorumque pallore, infigni fpiritus emisfi foetore, dentibus fordidis et arrofis, fumma virium proftratione aliisque haud obfcuris tum coeptæ in fluida folidaque materia refolutionis fcorbuticæ, tum luis confirmatæ indiciis.

Primum quidem inflammationis hujus ftadium, quod plerumque potentiæ fortuito nocentes inferunt, tam celeriter decurrit, ut hujus obfervandi vix et ne vix quidem detur opportunitas. Quare medentes, qui, rebus ita comparatis, et oculo de affecto, et de altero forfan adhuc fano fervando penitus desperent, neutiquam vituperandi funt. Namque decedere non folet, quin biduo tri-

du-

duove poſt morbum in illo ſemel exortum, hic majorem adhuc in modum inflammetur. Confirmata autem inflammatio et rapido ſemper curſu in completam abit oculi utriusque deſtructionem, et adeo haud raro ingraveſcente partium fluidarum ſolidarumque colliquatione, ineluctabilem corpori ruinam parat.

Nihilominus depulſi, quem inſanabilem vulgo cenſent, morbi tam atrocis exempla, licet rarisſima, utique non deſunt. Eapropter huic medendi methodum paucis recenſebo.

Ante omnia, ſi quid commodi a remediis chirurgicis expectari debeat, de corrigenda diatheſi ſcorbutica, quæ tanto ominoſiorem ſyphilidem ipsi junctam reddit, cogitandum est. Aeger itaque ſingulis diebus decoctionis Chinæ ſaturatæ libram unam, nec non potus ſolennis inſtar polentam ex aqua recens coctam eamque cum acido ſulphurico nuptam hauriat, diligenter vitato qualiscunque medicinæ aromaticæ, aethereæ, balsamicae, narcoticæ et mercurialis usu, atque, si tempe-

peſtatis ratio hoc ſieri permittit, ſæpius ſub divo ambulet.

Quod curationem localem ſpectat, muci tenacioris abstergendi causſa ex intervallo collyrii, quod ex aqua communi destillata et alumine paraveris, guttulæ aliquot in oculum demittantur. Itemque conjunctivam tumidam aliquoties de die altis plagis ſcariſicare conveniet. Quo facto, si quid gonorrhoicae materiæ per vulnuscula effluxerit, de ſanatione ſecutura haud omnino dubitandum est. Porro quoque eam, quæ corneam obducit, lamellam, si quid laticis morbosi ſub ea collectum ſuerit, leviter incidere juvabit. Detumente tumore cesſanteque muci gonorrhoici defluxu; dilutam lapidis divini ſolutionem vel aliud ex iis, quæ adſtringunt, collyriis in usum vocare conducit. Poſtmodum vero unguentum, quod butyri recentis inſulsi uncia dimidia, hydrargyri oxydati rubri granis sex, cupri sulphurici ſcrupulo dimidio, tutiæ præparatæ granis octo et camphoræ granis quatuor conſtat, bis de die ad lentis magnitudinem penicilli miniſterio palpebris

illi-

illinendis utiliter adhibetur. Ab hydrargyri usu, tum externo tum interno, quoad ejusmodi fyphiliticis propria in fcorbutum perftet proclivitas, penitus abftinendum est. Quoties vero, correcta femel diathesi fcorbutica fedatoque materiæ gonorrhoicæ effluxu, palpebrarum tumor nihilominus refractarius perduret, toties fcarificationum loco, quippe quæ hoc in casu nihil præter feri tantillum efferentes, nullius utique frugis funt, haud cunctanter hydrargyrum cum opio nuptum et ufui interno dari et forinfecus adhiberi oportet. Attamen hydrargyri muriatici corrofivi usum, etiamsi providisfimum, hujuscemodi aegrotantes nunquam impune ferunt. Contra hydrargyri cinerei inunctiones ad regionem fupraorbitalem adhibitæ, continuato fimul liberaliore Cinchonæ ufu, præftantisfimum femper, quantum vidi, habuerunt effectum.

Superest, ut quoque *ophthalmiæ pseudogonorrhoicæ* ejus, quam ob materiam gonorrhoicam ad oculos ceteroquin fanos contactu immediato translatam nasci ajunt, pau-

cis

cis mentionem faciam. Sive hoc in homine gonorrhoico ipſo, ſive in alio quodam ſano acciderit, morbus sic exortus in utroque casu blepharoblennorrhoeæ modo ſimplicis, licet in ophthalmoblennorrhoeam pronæ, partes agit atque tum curationi antiphlogiſticæ, ad ſtadium primum laudandæ, tum poſtea collyriis mucilaginoſis opiatisque facile cedit.

§. VII.

De iritide syphilitica, et primum quidem ejus de genesi.

Si quis lue venerea jam correptus insuper ophthalmia interna laborare incipit, hanc ideo syphiliticae largirer nomine, quoniam inflammationem conceptam serius ocyus excipiunt mirumque in modum alterant syphilidis hac prioris symptomata. At enimvero, antequam haec hui generis generari poſſit inflammatio, lui praeſtanti, quae nonniſi morboſam oculi ad ſtimulos poſitivos receptivitatem ceu internum cauſſae ophthalmiam continentis momentum infert, haec illave potentiarum forinſecus nocentium ſuperveniat, neces-

cesse est. In his quidem ad producendam, de qua jam agitur, ophthalmiam nulla magis aptam sese praestat ea tempestatis ratione, quae generandis adfectibus catarrhalibus favet. Idcirco etiam iritis nostra, priusquam syphiliticam sese prodit, per aliquot dierum spatium ophthalmiae catarrhalis aemulari solet faciem.

§. VIII.

Iritidis syphiliticae faciem paucis depingit.

Quibus vero morbus noster insidiari cœpit, hos primum in regione supraorbitali pressionis dolorisque obtusi male habet perceptio, cornea interim, abjecto naturali splendore, hebescente atque membranæ pulverulentæ instar comparente. Itemque iridis color pristinus sensim permutari incipit. Iam corneæ hebetudinem levis oculi rubedo excipit, quæ tamen scleroticam præprimis marginemque iridis pupillarem occupat. Quo facto, dum pupilla mobilitatem pristinam amittit velutique mutata sede sua, angulum oculi internum petit, iris cum enormi sui

ex-

expandendi nisu formam angulosam nanciscitur. Memorata haec morbi adhuc recens nati symptomata paullo post magna lucis impatientia copiosiorque lacrymarum effluxus excipit. Inter haec dolor, qui oculum ipsum leviter tantum, sinus autem frontales regionemque supraorbitalem vehementer affligit, cum enormi humoris lacrymalis profluvio aegrum a die inclinato ad diluculum usque adeo excruciat, ut hac ex caussa infirmiores non raro deliri evadant. Accedente morbi stadio secundo, iris aggeris instar intumescit atque margo pupillaris majorem adhuc in modum angulosa facta, præprimis nasum versus acuitur. Cornea cum humore aqueo obnubilatur iridisque color ex aliqua parte inde mutatus apud eos, quibus ex cæruleo glaucus fuerat, in subviridem, apud alios in alium degenerat. Eadem quoque, ubi morbo procedente corneam versus intumuerit, anteriorem oculi cameram eo usque replet, ut inhibita humoris aquei secretione, hujus in locum lympha coagulabilis succedat, quæ a pupillæ peripheria centrum versus crystallizata,

ta, anteriorem capsulæ superficiem obducit visumque penitus delet. Rubor scleroticae inflammatorius sensim auctus jam quoque ad conjunctivam ita propagatur, ut vasa inflammata corneæ in ambitu limbum annularem forment, quin etiam horum nonnulla in corneam ipsam porrecta, peculiarem hujus inflammationis notam sistant. Præterea quælibet doloris, interdiu quidem silentis, nocturna exacerbatio novis partium in oculo adfecto alterationibus ansam praebet. Ita nimirum pupilla, a morbi primordio solito minor, de die in diem magis coarctari, iridis facies a naturali longius deflectere lymphæque coagulabilis in cameram posteriorem transsudatio largior contingere incipit. Si lues eo usque jam perducta est, ut pseudo-organisationes fecerit, in utroque iridis margine excrescentiae condylomatosæ prodeunt, quas a rerum ignaris cum abscessibus commutari, facile evenit. At enimvero, cum condylomatibus nobis rem esse, tum eorundem ex colore latericio celerique incremento, tum ex sede ipsis propria, margine pupillari

aut

aut ciliari, utique cognoſcitur. Quod reliquum eſt, temporis progreſſu adeo augentur dictae excreſcentiae, ut corneam denique hemisphaerii instar protrudant.

§. IX.

Quibus iritis ſyphilitica ab arthritica differat, notas recenset.

Ut iritis ſyphilitica facilius internosci posſit ab arthritica, illi profecto ſimillima, utriusque morbi notas praecipuas, ad ſe invicem comparatas, equidem ita definirem: 1) Dolor, iritidis ſyphiliticae comes, non tam in oculo ipſo, quam potius in regione ſupraorbitali et glabella reſidet, indeque nunquam ultra tempora extendi ſolitus, modo per noctem copioſae lacrymationi junctus aegrum vexat. Idem contra in iritide arthritica, praeterquam, quod caput univerſum occupat, vel interdiu urget. 2) Oculorum rubor in ophthalmia ſyphilitica, uti luſtratione accuratiori deprehenditur, binas lamellas occupat, utpote cum vaſa conjunctivae propria rete laxum, quod ſcleroticam roſeo colore tinctam perluce-

cere ſinit, idque ad bulbi motum rugosum efficiant. Eodem reti vasculoſo, cujus vasa nonnulla ad corneam usque porriguntur, circa hanc membranam limbus annularis efformatur. Deinde, etiamsi conjunctiva penitus, ſclerotica vero maxima ex parte rubere deſiit, utraque tamen in tunica, quaqua hanc inflammatio corripuerat, limbus ſubcaeruleus remanet. — In ophthalmia arthritica illud rete vaſculoſum vaſis varicoſis laxisque continetur; atque tantum abest, ut corneam vasa ista penetrent, ut potius interjecto reti angustisſimo, tertiam lineæ partem lato, annuloque livido a cornea penitus dividantur. 3) Cornea jam inde a morbi primordio nubila et pulverulenta apparet, quod vero in eodem morbo ob arthritidem nata neutiquam accidit.

§. X.

Qualem exitum iritis syphiliticæ habere soleat.

A potiori quidem ob ſyphilidem proſtantem nata iridis inflammatio, licet primum hujus ſtadium celerrime decurrat, morbis lon

gis annumeranda est. Sanationem eo magis ſperabimus, quo quis ocyus medentem consuluerit. Etiamsi vero, quominus rapido curſu ad asthenam infrectam morbus properet, in omnibus impediri nequeat; is tamen nec ultra jam progresſus ad omnem medicinam refractarium sese praestat. Namque haud infrequenter eousque saltim propelli solet inflammatio, ut hujus in sede limbus caeruleus plures per annos superstes relinquatur. Plus utique timoris, quam spei, superest, ubi morbo jam paullo magis inveterato copiosa supervenerit lymphae in pupillam transſudatio. Hanc enim, brevi post crystallisari solitam, ad absorptionem perducere adeo difficile est, ut potius, hoc ubi semel evenerit, de visu reſtituendo penitus desperari debeat.

§. XI.

Iridi ob cauſſam syphiliticam inflammatae medendi rationem tradit.

Quemadmodum satis inter omnes conſtat, memoratam ophthalmiam absque prægres-

gressa luis universalis extinctione ad sanationem perduci utique non posse et non raro stimulis positive nocentibus denuo revocari: ita quoque solenni curatione antisyphilitica, corpus modo universum respiciente, oculum prius destrui, quam lues debelletur, nemo est, qui non intelligat. Plurimum itaque hoc in casu a tempestivo congruoque remediorum localium usu pendet. Verum ante omnia nocturnis doloris circa glabellam insultibus occurrendum est. Hunc in finem celebris Beer, et lætabili quidem cum eventu, opium idque vel hydrargyro muriatico miti, vel unguento hydrargyri cinereo junctum singulis diebus paullo ante accessionem ad lentis magnitudinem regioni supraorbitali infricandum frontem autem postea bene operiendam curat. Atque harum quidem inunctionum usus, quoad dolor redire solet, continuandus est. Eaedem, teste præceptore optimo, adeo contra memoratam lymphæ transsudationem, donec recens haec orta est, egregios effectus exerunt. Oculi porro depurandi abluendique caussa aqua Conradi cum

cum opio conjuncta utiliter adhibetur. Constat autem haec medicina ophthalmica hydrargyri muriatici corrofivi grano uno et aquæ rosarum unciis quatuor. Ad compescendam nimis copiosam lymphæ lacrymarumque secretionem inftar omnium fomenta sicca laudanda sunt. Usui interno, ut lues examusfim debelletur, hydrargyrum liberaliter præscribendum est. Omnium quidem pharmacorum ex hoc paratorum hydrargyrum muriaticum mite tutisfimum est. Quo vero cum laxa, inertia tumidaque corpora debito minus afficiantur, his intrepide hydrargyrum muriaticum corrosivum, cui evitandi effectus adversi causfa aequales opii doses addideris, propinare convenit. Inflammatione tandem penitus fugata, ut quoque corneæ obnubilationi, exsudationibus lymphaticis iridisque condylomatibus auferendis consulatur, unguentum hydrargyri rubrum adhiberi opus est.